Eggert Ólafsson
(G. J. Thorkelin)
Index Geographiæ.
1780.

EGGERHÁRDI OLAVII

Islandiæ orient. & occid. Judic. Provinc.

INDEX GEOGRAPHIÆ VETERUM ISLANDORUM

Qvem ex

Monumentis medii ævi

confectum

Recensuit & stellula notatis auxit

G. JONÆ THORKELIN

Qvi

sua disputationis anniversariæ

loco

IN AUDITORIO COLLEGII MEDICEI

modesto secus sentientium examini submittit


h. p. merid. sol. die 19 Junii.

HAVNIÆ 1780.

Typis Aug. Frid. Steinii.

INDEX GEOGRAPHIÆ VETERUM ISLANDORUM.

A



A.

Adal-*fufla*. Sn. T. 1. p. 44. Territorium *Efthoniæ* maritimum. *Hapfalwykam* effe credit Illuftr. *G. Schöningius* not. ad *Snorr:* T. 1. p. 206. *S. Lagerbringius* vero *Adalfuflam* ftatuit effe regionem circa *Wolgæ* oftium *Cafpio mari* adjacentem. Hift. Svec. T. 1. p. 116. Rationes probandæ hujus conjecturæ affert, *Volgam* ejusqve ripas a *Turcis*, *Tartaris*qve *Athel* & *Ethel* appellari: *Stenum*qve, Adalfyflæ locum, illud clarius monftrare. Sed obfervandum eft, bina effe loca, eaqve a fe invicem diverfa, qvæ duobus Sveciæ Regibus fatalia, *Steni* nomine, apud Snorronem veniunt. Unum, ubi *Svegderus* abreptus p. 18., alterum, ad qvod *Yngvarus* occubuit pag. 44.; Hoc in *Efthonia*, Baltico mari ita vicinum, ut crediderit Poëta Hvinenfis, manes regis ibi tumulati, Epinicia, laudesqve fibi a Naiadibus carmine fufas, dulceqve fæpius modulatas facile audire poffe: illud in plaga orientali *Sveoniæ* magnæ, fitum erat. Qvod ni ftatuatur, qvomodo potuit qvæfo, *Brautaunundus* cædem patris *Yngvari* ulturus, una eademqve æftate, Sveciam relinqvere, *Efthoniam* petere, late populari, & fub au-

tumnum præda onuſtus domum ire; Num potuerit, brevi iſto tempore expeditionem ad mare usqve Caſpium peragere? Verbo: *Ericum* vicinam *Oeſiliæ* Adalſyſlam armis ſubegiſſe Polybius noſter refert T. 1. p. 206. *Adalſyſlam* ideo vocatam fuiſſe credo hanc provinciam, qvod trans mare Balticum prima fuerit in continenti Regio *Gothis* in *Svecia* habitantibus ſubjecta. Ab *Adal*, de qvo vid. Ihrei Gloſſar. T. 1. p. 6. & ſeqqv. & *Syſla*, præfectura.

**Adrimar*. Wilk pag. 354. *Mare Adriaticum*, hod. *Golfo di Venetia.*

**Ægiſif*. Fr. G. 736. Αγια σοφια, Templum Cathedrale Conſtantinopoleos.

**Ægisnes*. Snor. in vita Sig. Hieroſ. *Ægos*, urbs maritima olim in extrema Cherſoneſo ad Propontim ſita. ex *Ægir*, Ægæus; & *Nes*, promontorium.

**Æſir*. Sn. Idem ac *Aſar* infra.

Agnafit. Snor. T. 1. p. . Agnii lingula, in Mælerum lacum, ubi nunc *Stockholmia* eſt, excurrens, ab *Agnio Dagi* filio *Sveciæ* Rege, qvi ab uxore *Skialfa* ibi laqveo ſuſpenſus obiit, ſic dicta. *Fit* lingula, præſertim plana, & depreſſa.

Akrsborg. Sn. T. II. p. 241. Edit. Per. *Accon*, *Acon*, *Ptolemais*, hodie *Aca*, *Acre*, urbs *Syriæ* ad mare mediterraneum celebris, & crucigera Normannorum claſſe freqvens olim ſtatio. Comp. ex *Akr*, ager, planities. Qvam vocem, ex hodierno nomine *Acre* ob ſimilitudinem finxere majores; & *Borg*, munimentum, urbs.

Akvisborg. Orkn. Mſ. Idem.

**Alaborg*. Sn. T. 2. p. 322. Edit. Per. *Aalburgum*, *Alaborg*, *Alaburgum*, *Alaburgia*, hod. *Aalborg*, celebre

celebre Jutiæ oppidum ad oram Sinus Limici australem. Composit. ab *All* 1) angvilla, Dan *Aal*. 2) Canalis profundus. Ita ut nomen acceperit urbs, aut ab captura angvillarum, aut ex situ, qvem amnes duo *Ofter-* & *Wester-aaen* jam dicti commerciis utiliorem faciunt Conf. Act Dan. T.V. p.110.124.

**Aldeigia*. Sn. T. 1. p 296. Halfd. Est. f. p 5. Urbs ad Lacum *Ladogæ* in Principatu Russiæ Novogrodiensi. *Bayerus* hanc urbem fuisse vult *Alt-ladogam*, & *Lagerbringius*; *Stargardiam*. Hist. Sv. T. 1 p. 282. *G. Schöningius* vero insulam ubi postea *Notheburg*, illi melius assignat. Significat urbem ad *Ladogam* sitam, qvi lacus in monumentis *Aldoga* etiam appellatur. vid. *A. L. Schlözers* Allgem. Nord. Gesch. p. 501. & *Verelii* notas ad Hervaræ sag. p. 72.

Aldeiginborg idem. Sn. ibid.

**Alfsborg*. Halfd. Est. S p. 4 Urbs *Russiæ* non longe ab *Aldega*, forsan ubi *Olonez*. utraqve enim mutuo confunditur in Mss. Legati *Arna - Magnæani* No. 340. cum impress. collatis.

**Alfheimr*. Sgb. p. 18. 2: Mundus omnium f. Regio interamnis, qvæ *Raumelfa Gotelfa*qve clauditur, *Bahuslehn*, *Rommerige* & *Wermelandiam* hodie complexa. vid. infra in voce *Gautelfr*. Eponymum hujus regionis *Alfum Odini* fratrem fuisse, dicit *Peringskioldius* in notis ad *Cochlæum* p. 352. & Exemplar aliqvod *Hervarasagæ* Mst. qvod vir ille illustris cum (*a*) impresso contulit, idem qvoqve tradit. Sed, cum majores, ex natura locorum nomina sæpius desumserint, placet hic illud deducere I.) ex *Elf* 1) flumen, 2) κατεξοχην

A 3 certum

(*a*) Exemplar hoc cum varietate Lectionem manu b. Peringskioldi pertinet hodie ad Dn. *de Nettelbladt*, S. R. J. lib. Baronem.

certum qvoddam & præ aliis celebre flumen. Ex. gr. *Albis* Germaniæ: Dan. *Elfe*, Gall. & Germ. *Elbe*. Qvem fluvium *Math. Martinus* in Lexico Etymol. edit. *Grævianæ* p 22. ab *Halb*, medius, minus recte derivavit, etiamsi maxime *Germaniam* ab Hercinia in mare usqve Germanicum, mediam secet. II.) Ex *heimr*, mansio, domus, regio, orbis. Ab hoc *Alfheimo* cum nomine, tum situ differt.

**Alfheimr*. Edd. Mythol. XV. ɔ: Geniorum mundus. "Est in coelis locus *Alfheimar* vulgo dictus, qvem "gens *Liosalforum* ɔ: Lucidorum geniorum inco-"lit. Sed inferius, in terra *Döckálfi* ɔ: Nigri "genii sedes habent." Qvæ fabula ita forsan explicari potest. *Alfi* genus hominum erat; & qvidem ex conjectura illustriss. *Suhmii* origine *Finnicum*. Qvos, nam *Alp* in lingva Celtica editum, altum denotat, loco primum incoluisse edita, indeqve nomen accepisse credo. Ut vero crevit populus, alii sedes deseruere patrias, depressa, ne latebrosa, & in visceribus terræ qvæsita, dicam, domicilia occupantes; remansere alii. Hi *Liósalfi*, illi *Döckalfi* dicti sunt. Sed hæc, qvorsum rogas? Genii erant: Dixere Asiani, atqve *Alfis* artes stupendas tribuunt. Has solos apud Deos, eorumqve cognatos, genios puta inveniri, persvasit sibi credula posteritas talibus longe impar, & omnia, qvorum rationes perspicere non potuit, mortalibus denegata, ad vires divinas retulit. Sic *Alfi*, genii facti sunt. Et *Ol. Dalinus*, *Alfheim* illum Eddæ, *Olbiam* ad *Borysthenem* sitam fuisse statuit. Vid. Hist. Svec. T. 1. Cap. III §. 16. n. p. Cæterum *Alfr* hodie significat 1) Genium, Dæmona, 2) excelsum qvid.

3) Nom.

3) Nom. propr. viri qvod latine vertunt *Adolphum* 4) ſtultum, ruſticum. Bremenſibus *Aalf*, thörigt, abgeſchmacht. Qveis diverſis notionibus fata gentis latere facilis opinor. Qvid enim facilius? qvam illa florens artibus, qvales ætas iſta tulit, ab Aſianis in Boreales terras venientibus, ſubacta, ſedibus ejecta ſuis, & commerciis demum fuerit interdicta. Qvo non potuit non exſtingvi priſtinus gentis honos & barbarie commutari. *Alf.* AS. & Sv. *Ælf.* Teut. *Alp*, alii ab *helfen*, juvare; alii ab ὄλβιος, felix, derivant. Sed laudo magis ingenioſam Gudm. Andreæ etymologiam v. ab *half* ɔ: medio aut hebr. עָלַף latuit. Etenim illi natura, qvam Edda iis tribuit, ſemidei ſunt, & *huldu fólk* ɔ: populus latens, inviſibilis qvippe, ideo appellantur. De qveis geniis vid. *Trog. Arnkiells* Cimbriſche Heiden Relig. 1 Th p. 93. & qvæ nuper Varro noſter ſcripſit om Oden og den Hedniſche Gudelære p. 228. ad 234.

**Alfaſund.* Fr. G. Fretum Balticum minus *Fioniam* inter & *Cimbriam*. Dictum puto ab *Half*, dimidius, qvaſi dimidium, reſpectu freti majoris; qvod *Fioniam* a *Selandia* ſejungit. *Sund*, trajectus.

Alkaſir. H. ſt. & Sn. T. II. p. 234. *Salacia imperatoria*, hod. *Alca Cerdo Sal*, *Alcacer de Sal*, *Alcaſſes di Sal*, urbs Portugalliæ in *Extremadura*.

Allandshaf. F. N. *Mare Allandicum.* Ea pars maris Bothnici, qvæ *Alandiam* alluit.

Alsey. Kn p. 18. hod. *Alſen*, Inſula maris Balthici ad ducatum Schlesvicenſem pertinens.

Analöng. Kn p. 244. Oppidum & ditio Rugiæ a Danis occupata.

Andþekia. Fr. G. *Antiochia* magna, Syriæ ad *Orontem* fluvium sita Metropolis. *And* est Græc. ἀντι, contra, & *þekia*, tectum, qvas voces ex *Antiochia* formarunt majores.

Apasiflas Præfectura & territorium Cimbriæ.

Apardion. Sn Edit Per 343. *Devona*, hod. *Aberdeen*, urbs Scotiæ Septentrionalis in Comitatu Aberdonensi.

Aqvisgranum. Fr. G. *Aqvisgranum* hod. *Aacken*. Fr. *Aix la Capelle*, urbs Westphaliæ antiqva.

**Ardion*. Orkn. s. p. 330. Idem ac *Apardion*.

**Arinsborg*. Fr. G. 736. *Marpurgum*, hod. *Marpurg* urbem Hassiæ Superioris esse dixit b. *Temlerus*. Et Contextus id patitur. Siqvidem euntes Romam, *Frizlaria* relicta, *Arinsburgum* veniebant, unde brevis *Moguntiam* eos ferebat via. Utrum vero ab Αρης Mars derivari debeat, aliis judicandum relinqvo, multum dubitans majores habuisse morem, loca græcis nominibus appellandi.

**Arkun*. Kn. Cap 101. Saxoni p 284. 319. *Arkon*, *Arkona* urbs *Rugiæ* in Promontorio excelso ejusdem nominis sita vid. *A G Schwartz* Diplomatische Geschichte Pommersch-Rügischen Städte p. 615. ubi nomen a Scythica voce *Arck* v. *Erck* altum, præruptum promontorium denotante ducit. conf *Ejusd*. Einlet. zur Geogr. des Norder-Deutschl. p. 90

**Arós*. Kr. f p 26. *Aarhusium*, Dan. *Aaers* apud *Henr. Stephan. Fabrum* in Nomenclat. Dan. lat. hod. *Aarhus* & contracte *Aars*, urbs Cimbriæ Septentrionalis ad Australe Freti Baltici minoris littus sita. Compos. ab *A*, Dan *Aa*, flumen, amnis, in casu gign. *Ar* & *Os*, ostium; adeo ut

ut *Ostium amnis* notet. Hinc factum esse *Ar-hús* credo, mutando *o* in *u*, & *h* inserendo. Situi nomen optime respondet; nam ad ostium amnis, qvi mediam secat urbem, jacet. Potuerit tamen *Aarhus*; & domus ad amnem structa dici, & Remorum receptaculum, commoda scilicet statio, celebrisqve portus ex *Ar*, Dan. *Aare*, remus, & *hús*, domus.

**Arós*. Sn. T. 2. Cap. 96. 203. olim *Östra Arós*, oppidum mercatusqve (ubi nunc Upsalia est) ad Ostium *Fyrensis* amnis, ubi in Mælerum sese exonerat. vid. *E. Tuneld* Indledn. til Geogr. öfwer Swerrige pag. 47. *Joh. Schefferi* Upsaliam p. 1. *Joh. B Busseri* Beskrifning om Upsala T. 1. p. 33. *Joh. Peringskoldii* Monumenta Ullerakerens. F. 2. Cap. 11. p. 5.

**Arós*. Orkn. s. oppidum Rossiæ in Scotia, illustri *Makdonaldorum* genti dominii jure hodie parens.

**As*. plur. *Asar*. Snor. sæpius. Apud majores nostros vocabantur *Odinus* ejusqve socii huc ex Asia venientes, & divino, postqvam summum obierunt diem, honore mactati sunt. Volunt Complures, nostros *Asar* ac Hetrusiorum *Æsar*, Thyrrhenorumqve Αισους numina, deos, eosdem esse. Qvanqvam veri similius sit, hoc ab αισα fatum, qvo nihil in orbe veteri divinius colebatur, descendere, illud vero nomen, a regione qvam incolebant *Asi*, desumtum fuisse. vid. *Ihre* in voce *As*. Horum ad Caucasum montem & in Tauliftonica superstites reliqviæ propria se lingva vocant *Acias*, *Asas*, *Asses*, *Anses*, *As* & *Osses*. vid. *Ol. Celsii* Dissert. in Act. Litt. Svec. 1736 *Suhm.* & *Schöningium* Om Folkenes Oprindelse.

Ása-

**Asaheimr*. Sn. T. 1. p. 6. *Asorum* regio. Tractus scilicet terrarum, qvem orientem versus a Tanai inter Paludem Mæotidem, Pontum Euxinum atqve Mare Caspium incolebant *Asi*, anteqvam in Septentrionem sedes transferebant.

Asaland. Sn. ibid. Idem.

**Asasyslor*. B. dr. Idem ac *Adalsysla*. Præfecturæ *Asorum* ideo forsan dictæ sunt, qvod, postqvam in Sveciam migrarunt unicæ fuerint, qvæ trans Mare Balticum iis paruere.

**Asgardr*. Sn. T. 1. p. 8. Asorum urbs. Strab. Ασπυργιον. Urbs ad flumen Tanaim, orientem versus sita. De situ disputatum est semper æqve incerto. Siqvidem alii i *Chasgardia* Turqvestaniæ illam qværunt. Aliis in *Azorio* Ptolomæi s. ejusdem *Azoria*, orientem versus a Palude Mæotide inventa. *Stiernhielmius* Epistola apud *Verelium* notis ad *Hervaræ* sagam p. 5. cum *Assof* s. *Assow* eandem esse certo sibi persvasit. Sed *Assowiam* observavit *Mullerus* in Begebenheiten von Asow p. 8. 46. 52. &c. post ann. Chr. 1103. id nomen primum accepisse, *Tanaim* antea appellatam. vid. *Suhm*. Hist. Dan T. 2. p. 59. 74. 79. *Schöning* om de Norske Folkes Oprind. p. 89 seqq. *Ol. Dalin* Gesch von Schw. T. 1. p. 81. *Ol. Celsii* Dissertat. de *Asianis* insert. Actis Litter. Svec. 1736. p. 193. *S. Lagerbrings* Swearikes Hist. T. 1. p. 54.

**Asiemenn*. Herv. s. Asiæ homines, iidem ac *Asar*, seu qvos Ptolomæus *Aszemannos* & Plinius *Asæos*, Sinenses vero *Ou-si-oun* appellant, vid. *Lagerbring*. l. c.

**Assatun*. Kn. AS. *Assandun* ɔ: Mons Asini, vertente *Florent. Wigorniense*. *Assendun*; *Essendun*, *Æscendunum* & *Æsesdune* ɔ: mons fraxinorum apud

Enco-

Encomiast. Emmæ; hodie vocatur *Assington* in agro Essexiensi.

**Asund*. Kn. p. 248. oppidum Rugiæ.

**Atripidis*. Kn. p. 256. Territorium Rugiæ, *Tribuzano* vicinum.

**Aulduhlaup*. Fr. Vet. Promontorium Hiberniæ unde brevissimus in Islandiæ meridionalis alterum, *Reykianes* vulgo dictum, transitus patet. Respondet illud optime Promont. *North Cape*, cujus Pars in mappa Hiberniæ *G. Petty-Vischeriana*, *Waterhowle* dicitur. Qvod nomen, si non penitus exprimit, habet tamen aliqvam *Auldu* f. ut impressa legit, *Jolduhlaupi* notionem. *Balacleigh* ɔ: Dublinum, ut conjecit b. *Langebeckius* Script. Rer. Dan. T. II. p. 32. esse vix potest. Loca enim, ubi de cursu in Islandiam instituendo agitur, semper adferuntur, qvæ minimo a se invicem intervallo distant. *Allda* Genet. *aulldu*, unda, & *hlaup*, cursus.

**Aumlungaland*. Vilk. *Italia* Superior f. *Longobardia* ab Amalæis, qvi Rege Ostrogothorum *Amala* editi erant, denominata. vid. *Dalin* Gesch. von Schwed T. I. p. 23.

Aungulsey. Orkn. f. Tacito *Mona*, Britannis *Mou*, *Tirmon*, *Ynis Dorwill* ɔ: Insula Opaca. Saxonibus *Monege*, *Mænige*, *Manige*, *Mannie*, ab Anglis deniqve devicta *Anglesey*, *Angles-ege*, *Anglesege*, Anglorum qvasi Insula dicta est. hodieqve *Anglesey* vocatur, tenui freto

Aungulseyiar-sund, l. c. Angl. *Meneu* a continentis *Walliæ* Comitatu Caernarvonensi sejuncta. Vid. *G. Cambdeni* Britanniam, de Insulis Britann. *Edm. Gibsonii* Chron. Saxon. in Onomast. locor. *Baxteri* Glossar. Antiqvitat. Britannic. & *Henr. Rowlands* Monam Antiqvam restaurat,

Aust-

Austmenn. Gunnl. Ormst. f. p. 28. unde illustriss. Dni *J Erici* Evergetæ mei max., parentis instar venerandi, observationem sumam. Vox *Austmenn* in genere viros significat ad orientem habitantes, vel ab oriente advectos. Hinc *Verelio* (in Ind. lingvæ Svio-Scytho Scand) annotante, Sveci-Norvegis *Austmenn* sive *Ostmanni* dicti; Dani autem & Norvegi, imo & Germani, Anglis, Scotis & Hibernis, qvod præter alia Waræi testimonium a Torfæo (Orcad. p. 44.) productum, nec non Giraldus (Topograph. Hibern. Dist. III. c. 43. coll. Cambd. p. 750.) probant. conf. Cangii Glossarium lat. voce Ostmanni. Sæpissime tamen Norvegi Islandis Austmenn appellantur. Conf. *Andr. Bussæi* Lexicon ad *Arium* Polyhist. voce *Austr.* Præ cæteris autem notari meretur, ipsos interdum Normannos se hoc nomine vocasse; teste Carmine authoris Norvegi de prælio Hafursfiordensi a *Sturlæo* servato, in qvo *Haralldus* Pulchricomus *Allvalldr* Austmanna ɔ: *Ostmanniorum* Dominus, appellatur, notatione ad Islandorum, Færöensium, Orcadensium, aliorumqve occidentalium morem formata.

**Austr-álfa* Matth. II. Oriens plaga mundi, Dan. *Österland*, Germ *Morgenland*, Gr. ανατολη.

Austr-lönd. Snor. T. II. p. 104. Terræ orientales. Qvos nomine regiones orientem versus a Mari Baltico a Danis, Norvegis, & Sveonibus vocabantur. vid. infra *Austr-ríki.*

Austrmarr. Thiodolf Hvinens. apud Sn. T. 1. p. 45. Mare Balticum ab *austr*, oriens, respectu Daniæ &c. ita dictum & *marr*, mare. hod *Ostsee.*

**Austr-ríki* Sgbr. & Snor. T. 1. p. 18. Orientale regnum. Hoc vocabulo terræ omnes qvæ inter

mare Balticum ab intimo sinus Finnici recessu ad Rugiam usqve, & Mæotidem paludem Caspium Mare interjacet. Conf. Sn. T. II. p. 104. & Edit. Per. T. II. p. 73. ubi: Frá Ellipoltum fór (*Haralldr*) allt um *Austr-ríki.* ɔ: A Palude Mæote orientales (respectu Norvegorum) terras transivit *Haraldus.*

Austrvegr. Sn. T. I. p. 18. in plur. *Austrvegir.* ibid. p. 44. Orientale mare ɔ: *Balticum*, & regiones orientem versus illi adjacentes, scil. *Finnlandia*, *Carelia*, *Esthonia* s *Livonia*, *Curlandia* omnesqve inde ad *Wagriam* usqve terræ. Vid. Snor. T. 2. p. 104. & omnes fere scriptores Islandos, apud qvos sæpius occurrit ab *Austr*, oriens, & *Vagr*, *Vegr*, *Vogr*, unda, mare, sinus.

**Austr-vegs-menn.* Sn. T. I. p 44. Qvi, aut Mare Balticum accolebant, aut infesta accolis inferebant arma, *homines maris Baltici* a Normannis vocabantur. In priori sensu apud Pythæum. *Esthii*, *Ostiæi*, & apud Artemidor. *Ostiones* occurrunt: nomina, qvæ nulli ab initio certæ genti propria, sed pluribus communia erant.

B.

Bæheimr. Ann. Fl. *Bohemia.*

Balagardssída. Sn. T. II. p. 8. Ora Finnlandiæ maritima qvæ mari sinus *Finnici* alluitur. Littus Pomeraniæ ab *Belgarto* urbe dictum nominis similitudine authorem lapsum esse, & *Vindlandiam* cum *Finnlandia* confudisse autumat illustr. G. *Schöningius* l. c. & *J. J. Reenhielmius* in notis ad *Thorsteni Vikingi* sagam idem statuit, se. *Balagardssidam* esse Pomeraniæ littus, Verum, *Snorronem*

ronem qvod attinet, exeusari non modo meretur, sed jure postulat, auctoritate *Sighvati* nixus. Hic, aulicus poëta, & familiaris Sti *Olai* Norvegiæ Regis, rem, ut gesta erat, refert; nam coram rege, cujus laudes cecinit, falsa eum attulisse facilis dubitarem. Verba hæc sunt.

Procella fuit Chalybis in bello, ɔ: procellæ instar
Celeri in via ad Herdalas usqve, pluebant gla-
Finnlendingorum in concursu, diorum ictus
Regum nepotis acerrima tertia,
Ad orientem autem juxta viam,
Solvit maris piraticas naves,
Cum *Balagardi* (extrema) ad latus,
Navibus (istis) jacuere littora,

Hoc littus crederem ab æstu maris longa syrtium serie fervente *Balagard* vocari. Etenim in Islandia piscatores littus undis æstuans *eitt bál*, *eina brenning*, incendium *eitt brim*, æstum, nominant. Hinc *Bál*, incendium, æstus, fervor, tam ignis qvam aqvarum ventis commotarum, & *síđa*, latus, ora. Conf. infra *Finnland*.

**Bannveta.* Laur. b. f. *Beneventum*, urbs Italiæ in Provincia montis *Fusculi*.

**Bár.* R. ft. hodie *Bari*, *Ager Barianus*, Regio Italiæ. *Terra di Bari* hod. pars Regni Neapolitani.

**Basta.* Kn. *Baphos*, hod. *Paphos*, metropolis Insulæ *Cypri*.

**Beiaraland.* Hr ft. *Bavaria*, Pars Germaniæ & Electoratus. hod. *Bayern*.

**Belltissund.* Kn. p. 62. *Fretum Balticum*, hodie *det Store Belte*, & κατεξοχην *Beltet*, qvod a *Salandia Fioniam* sejungit. Vocem *Belti*, qvæ cingulum baltheumve etiam denotat, commune mari esse nomen observavit *H. Grotius* Præfat. ad Scripto-

res

res Gothicos, & post eum *Verelius* notis ad Hervaræ sag. p. 18. & *Ihre* in voce *Bælt*. In poësi secundum regulas Eddicas *belti*, ponitur pro mari (tam toto, qvam parte) terrarum qvippe Cingulo. Et hæc ratio cur Mare *Balticum* a *Balteo* derivetur, potior est, qvam illa *Joh. Peringskioldii*, qvam in Monumentis Uplandicis p. 124. a *Baldero* Bono, tamqvam Eponymo sumsit.

Bern. Vilk. *Verona*, urbs antiq. Longobardiæ Venetæ.

**Beruvík.* Ork. f. hodie *Berwik* ad *Twedam* flumen sita juxta mare Germanicum.

Biarmaland. Sn. T. I. p. 110. T. II. p. 217. Regio circa *Dwinam* flumen, qvam mare album alluit, hod. *Permia*, Terra *Permsie*. In situ maxime errarunt viri docti *Schefferus* in Lapponia Cap. II. pag. 4. 5. *Verelius* in notis ad *Herraudi* sagam p. 73. *J. E. Biörner* in *Gothunhemia* Cap. XII. p. 76. aliiqve plures. Vid. *G. Schöning* in *A. Schlözers* Allgemeine Gesch. von Norden p. 443. Causam vid. infra in voce *Gandvík*

Blauckumannaland. Sn. T. II. p. 396. Ed Per. Fuscorum colore hominum terra ɔ: *Wallachia*. vid. infra in *Pessinarvellir*. A *Blackr*, fuscus. AS. *blac*, *blæc*, Angl *Black*.

Bláland sumitur 1) pro *Africa* in Carmine *Sturlæ Thordi*, qvo testatur *Hakonem* Norvegiæ Regem

Allvaldr dirkazt út med Serkium
oc - - -
þadan alt med Blálands *iadri*.
ɔ: Potentissimum a remotis longe *Saracenis* laudibus mactari
& - - -
inde ab omnibus secundum litora *Blalandiæ* oceani accolis.

2) Pro

2) Pro ea *Africæ* parte, qvæ *Mauritaniam*, *deſertum Zaaræ* & utramqve *Æthiopiam* continet. Qvas terras Snorro uno nomine *Bláland hid meira*, Blálandiam majorem appellat. Fragm. vero Geogr. 736. in tres *Blalandias* dividit. 3) Pro *Æthiopia* Macc. I. c. 6. *Bláland* verſionem eſſe *Nigritiæ*, qvis non videt. A *Blár*, 1) niger, 2) cæruleus, & *land*, terra.

**Blámadr*. Hr. ſt. Æthiops. 2) pugil. vid. *Ihre* in h. v.

**Boheimr*. Ann. Reg. Bohemia.

Bolgaraland. Sn. T. II. p. 247. Ed. Per. & Hr. ſt. *Bulgaria*, Regio ad *Pontum Euxinum*, ubi *Danubius* in mare nigrum excurrit.

**Bolgardaland*. Fr. G 333. Idem.

**Borg*. Hak. S. vide *Burg* infra.

Borgundarholmr. Snor. & Kn. *Bornholmia*, Inſula maris Baltici. AS. in *Otheri* Periplo *Burgendaland*, Dan. in Diplomat. med ævi *Burgandeholm*, *Burgundeholm*, *Burganderholm*, *Burgendeholm*, *Borghaudaholm*, *Borrandaholm*, *Borandaholm*, *Barændaholm* *Borendholm*, *Borendeholm*, *Borundholm*, *Borondæholm*, *Burlundaholm*, *Bordenholm*, *Borenholm*, hod. *Bornholm*. vid. *Langebeckii* Script. Rer. Dan T. 2 p 118. & *Suhmii* Collectio ad Hiſt. Dan. Tom. I. p 42. *J. Thuman* Unterſuchung über die alte Geſchichte einiger Nodiſchen Nat. nomen ab antiqviſſimo *Burgundiorum* populo deducit, credens eorum coloniam ſedes in hac inſula fixiſſe. Sed a *Borg*, caſtellum, munimentum, urbs; & *unn*, particula inſtar denotante compoſitum eſſe puto Etenim *Bornholmia* Saxis præruptis editisqve munita caſtello haud abſimilis eſt; & in Iſlandia prærupti monticuli *Borgir* ſæpius appellantur.

Bót.

